Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

componitur. Inde profectus ad habitatores
dabir abiit, quia ordo doctorum quem in
das exprimit, ueteris testamenti scripta
transcendens, noui testamenti scripturam
discutit. Dabir enim eloquentia dicitur per
quam noui testamenti littera exprimitur. Cuius
nomen uetus erat cariathsepher: id est ci
uitas litterarum, quando in primordio
seculi, sine lege scripta, diuersis prefiguratio
nibus mundo loquebatur sue redemptio
nis mysteria. SEQUITUR.
DIXITQUE Caleph. Qui percusserit ca
riathsepher: et uastauerit eam, dabo ei
axam filiam meam uxorem. Cumque cepisset eam
othoniel filius ceneth, frater caleph iunior:
dedit ei filiam suam coniugem. Quam pergentem
in itinere, monuit uir suus, ut peteret
a patre suo agrum. Que cum suspirasset se
dens asino, dixit ei caleph. Quid habes?
At illa respondit. Da michi benedictio
nem. Quia terram arentem dedisti michi, da
et irriguam aquis. Dedit ergo ei caleph irrigu
um superius, et irriguum inferius.
CALEPH, quasi cor: aut omne cor:
uel canis dicitur, per quem ordo doctorum
exprimitur, qui quasi cor uitam sancte ecclesie
continet, et instar canis excubias domini
sui obseruat, dum contra demones, uel
christi hostes, latratum predicationis emit
tere non cessat. Ipse etiam caleph qui in ty
po doctorum ponitur, ipsius quoque domini typum
hoc in loco exsequitur, quia ipse omnium
doctorum caput et magister esse cognoscitur.
Caleph ergo dicitur, cum christus sua mysteria mun
do predicerit. Qui cariathsepher percusserit,
et eam ceperit, qui scripture sancte intelligen
tiam per meam passionem tetigerit, et per resur
rectionem meam et ascensionem in captiuita
tem eam redegerit, dabo illi axam filiam
meam uxorem. Axa claudicans, uel nas
cens, uel furibunda dicitur, per quam ecclesia
presentis temporis exprimitur, que claudi
cat in spe, dum quod sperat, non dum habet in
re. Nascitur contemptoribus legis diuine, fu
ribunda efficitur zelo iusticie et continen
tie. Unde reprobi in libro sapientie descri
buntur loqui in die iudicii, uisa gloria elec
torum dei. Nos insensati uitam illorum estima
bamus insaniam, et finem illorum sine honore.
Hec ergo axa, filia caleph scribitur, quia sancta
ecclesia christi sanguine in cruce gignitur.
Quam nimirum ipse christus ordini doctorum
in matrimonio iungit, cum per spiritum sanctum
uerbo predicationis, plebem fidelium ipsi
tribuit. Othoniel, tempus eius dei, uel re
sponsio dei dicitur, per quem ordo doctorum
noui testamenti exprimitur, cuius tempus
esse dei dicitur, cum ipse dei responsio ef
ficitur. Qui frater caleph iunior fore de
scribitur, quia noui testamenti predicator
per christum constituitur, qui post resurrectionem
suam MARIE magdalene loquitur.
Uade nuntia fratribus meis, et dic eis.
Ascendo ad patrem meum, et patrem uestrum, deum
meum et deum uestrum. Hic ergo othoniel ca
riathsepher capit, dum per christi passionem, re
surrectionem, et ascensionem, spiritu sancto de celis
misso, sancte scripture intelligentiam compre
hendit. Cui caleph filiam suam axam dat
uxorem, de qua uerbo predicationis fideli
um generet sobolem. Othoniel et axa si
mul pergunt, quia ordo magistrorum et
ecclesia subditorum in unitate fidei et spei
et dilectionis christo seruiunt. Uir eius ei
suadet, quia ordo doctorum sancte ecclesie salu
tis consilium prebet. Ut petat a patre suo
agrum, de quo ysaac ad IACOB loqui
tur filium suum. Ecce odor filii mei